

IN SPIRITUM SANCTUM.

nis plenissimum illud de calamo quassato non conterendo, & lino fumigante non extinguendo, Esai, 42. v. 3. Item Psal. 37. v. 24. Cūm cecidit justus, non collidetur, quia Dominus sustentans manum ejus; ut videre est in ipso Davide, qui in medio tentationum, Psal. 51. v. 13. precatus est: Ne proiicias me à faciebus tuis, & spiritum sanctitatis tuæ ne capias à me, &c.

CXI.

Sic in repetitione fœderis, ac conversionis Israëlis, cūm avertet impietas à Jacob, dicit Dominus: *Hoc Fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo. N O N R E C E D E N T de ore tuo, & de oīis Seminiis tui*, dicit Dominus à modo & usq; in sempiternum, Esai. 59. v. 21. Quomodo & Jeremiæ, 17. v. 7. *Benedictus vir dicitur, qui fidit Jehovæ, & est Jehovæ fiducia ejus*, ubi expressè additum; Non desinet facere fructum. v. 8. & Psal. 125. v. 1. *Confidentes in Domino comparantur Monti Sionis, qui non commovebitur, sed manebit in seculum*. Commoveretur autem, si Fides totaliter posset deficere.

CXII.

In novo Testamento præter illa iam antè adducta, Joh. 10. v. 18. de ovibus suis Christus, *Ego do eis vitam æternam* (inquit) *nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea*: Quæ non tantum Credentes finaliter non perire, sed nec totaliter fidem amittere, per quam in CHRISTO manemus, nobis insinuant, quia dona, & vocatio Dei sunt à meus. Rom. 11. v. 29. *Et nihil separare nos potest à charitate DEI, que est in CHRISTO JESU*. Rom. 8. v. 38. 39. Posset autem, si Fides intotum aboleretur.

CXIII.

Testatur idem CHRISTUS, cum Audientem ex se sermones suos, & eos præstantem (quod est ingenium veræ Fidei) assimilat Viro prudenti, qui edificavit Domum suam super petram: descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi, & non cecidit; Fundata enim fuerat super Petram. Matth. 7. v. 24. & 25. Quâ Parabolâ quid aliud, quam immotam Fidei stabilitatem designat Dominus, contra quam nec portæ inferorum prævalebunt (nempe totaliter Electos subvertendo) Matth. 16. v. 18. Apocal. 13. 8.

CXIV.

Hinc Apostolus Philip. 1. v. 6. & 7. *Persuasus sum hoc ipsum* (inquit) *fore, ut qui cœpit in vobis opus bonum* (Fidei videlicet, ut est 2. Thessal. 1. v. 11.) *perficiatur usq; ad diem IESU CHRISTI: sicut justum est, ut ego id sentiam de omnibus vobis* (addit) *propterea quod animo teneam vos, & in vinculis meis & in defensione ac confirmatione Evangelii omnes unâ mecum suis gratiae meae partipes*. Et 1. Thess. 5. v. 42. in

620-